



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.XLVII. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XLVII.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LXVII.

Montisfer-  
rati Ver-  
nania.

Vere Admirabilis Mater, Virgo Benedicta in Benedictinis Montisferratenfibus suis, magnis sese ibidem sedem peculiarem fixisse, probat miraculis & beneficijs. Florentissimus hoc ipso anno & tempore illius Archisterij status, disciplina acuratissima, hospitalitas vere Benedictina, imo vere prodigiosa, ad quam obstupescat maximorum etiam Principum munificentia. Est ad concursum tot millium quotidie ferè hospitium & peregrinorum liberalitas inexhausta; ut nemo dubitet manum esse ejus, qui paucis panibus pavit in deserto tot millia. Hoc etiam mirabilius, quod hospitem quivis traèteretur pro sua dignitate, nunquam non filio, nunquam non Matri Virgini affluente, quod in pauperes non solum, sed & divites & potentes, possit sufficere. Et si quotidiana hæc gratia peregrinis, quid non gratiæ, quid non solatij Magnæ Matris Domesticis? Mira miranda omnia in felicissimo illo monte, qui totus compositus est ex mero Jaspide, mirâ Jaspidis duritie & varietate, mirâ nihilominus arborum & fructuum fecunditate, cum ætate æque ac hyeme, autumnus & vere, nunquam desinant virescere seu florere, & sæpe ubi nec pugillus appareat glebæ. Inde omni quoque tempore ac mense mira abundantia fosculorum, concentus perpetuus avicularum, nihil quod non reddat peregrinum attonitum. Et quanta devotio eo occurrentium, tantus plausus inde revertentium, mœrore, periculis, in valetudine liberatorum, Dei ac Deiparæ gratias agentium, magnalia deprædicantium. Audivimus ipsi ex magni nominis Medico, sed Acatholico, & mirati sponte fatentem sumus: totum se sacro horrore suffusum, cum sacrum illud limen subiret, nedum imaginem Deiparæ miraculosam conspiceret, tunc enim verè horrentes insurrexissent capillos, & supernaturale quidpiam in se advertisse, captum, raptum, affectum se mirabiliter fuisse, & persuasissimum quidem se habere, siquid hominum in terris beatum aut sanctum dici aut esse possit, aut in Montisferrato, aut nullibi aliàs reperitundum esse. Idem illic, magnos se animi motus sensisse dixit, & mirabili quâ-

Mira re-  
rum afflu-  
entia.Locus per  
omnia mi-  
rabilis.Acatholici  
libera at-  
testatio.

dam retentum violentiâ, usurpatâ ex more & consuetudine loci, triduo hospitiandi licentiâ, eo integrè exacto, ægerrimè inde sese abripuisse; ita ut profusus tunc Vocationis ad Fidem orthodoxam gratiæ aures & animum miser occlusisse videatur; ipsa sola reminiscencia nobis visus, motus novos sentire, & tamen, respectibus humanis & commodis in via latiori latentis, etsi suspecti etiam sibi præcipitij, retineri. Tales affectus Virginis filius, eo loci, in gratiam Matris nemini non, etsi obstinatissimo peccatori infundere assoler, & plerumque in effectum deducet, nisi respuant obstinati; tanta Sarcenorum quoque & Turcarum erga Montem Serratum & loci Dominam reverentia, ut in remotissima navigatione, vertice solo vel obiter conspecto vela dimittere, omnemque exhibere reverentiam consueverint, certum habentes, nisi faciant extrema passuros & periculosissimè navigaturos. Ex quo facile appareat, si in ejusmodi tantum possit cœli terræque Domina; quid ipsa, quid filius non operentur in Domesticos loci, in devota sibi mancipatu felicissimo, Monasticâ solemnî professione capita & pectora? maximis Chori & sacrorum subcelliorum laboribus dies noctesque occupata, tot millium peregrinorum servitio deputata, animorum lucro incumbencia? Et reapse exsplenduit in diem usque hodiernam, in sacro illo & frequentissimo Monachorum Cœtu, singularis Numinis benevolentia, peculiaris eorumdem cura, dum nunquam non inter eosdem, singularia etiam sanctitatis exempla se præderent, pro bravo perfectionis assequendo piâ æmulatione, generosa contentione omnes sese exercerent, dum lectissimo cujusvis eorumdem è tota Congregatione & meritissimo, solitariam agere vitam in cellulis sacri Montis, hinc inde dispersis & separatissimis, concederetur, ubi tanquam splendidissimæ faces in candelabro posita; imo tanquam stellæ in Throno & Corona Majestatis Marianæ, longè latèque illucescerent, ex quibus non pauci eo sublimitatis, in sui perfectissima abnegatione subvecti memorantur, ut omnium corporis pertasi solatorum, non alio cibo nisi solius Dominici corporis refectio pascerentur. Et quid mirum

Volenti non  
fit injuria.Magna  
gratia a fi-  
lio in Ma-  
tris Divina  
cultores.Singularis  
Numinis  
benevolen-  
tia.Solitari-  
um no-  
strorum  
exempla.



in Admirabilis Matris Montis illius & sacrae aedis gubernatione & regimine, nil nisi sanctum & Admirabile apparere, ipsa ibidem pedem figente, sedem eligente, & firmante, juxta illa propria sua communi Sacrae Romanae Ecclesiae toto orbe concertu: *Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Ierusalem potestas mea: & radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea:* Sed de Montis Serrati splendore & gratia nunquam satis, e si depradicante orbe universo. *Ex diversis ejusdem Historiae scriptoribus, & testium oculatorum certa relatione.*

In Germania nostra pulchro item certamine sacrae familiae Ordinis nostri Bursfeldensis & Cisterciensis altera alteram antevertere gestit, in Belgio imprimis, turbationibus etiamnum in Superiore Germania rebus, cunctis & disciplinam Regularem, & Domus DEI splendorem tanto conatu promoventibus, ut difficillimum esset aestimare, uter Reverendissimorum Dominorum Praesulum alter ab altero vinceretur. Certè Henricus Van der Heyden, Villariensis ex Abbate Sancti Salvatoris Antverpiae Antistes, ab Antonio Sanderò celebri nominis Scriptore *Vir incomparabilis* & vivus & mortuus celebratur & depradicatur. Hic sacri rigoris promotor egregius, nihil non egit, ut verè sanctissimi illius loci primariam conservaret auctoritatè, sanctitatem continuaret. Sed & ut Numinis quoque Majestatem pro dignitate coleret, Basilicam Cænobij cæteroquin Regio splendore verè Regiam, splendidiorè insigni molitione reddidit: Doxali imprimis constructo (verbis Sanderi referimus) ex marmore & jaspide, cum tribus tabulis artificio singulari, per Gasparem de Crayere (ipse in suis ad me datis *Iaspas van Crayer* à se ipso scribitur) celeberrimi nominis in Urbe Bruxellensi pictorem elaboratis, quarum prima Christi Nativitatem, altera ejusdem à Cruce depositionem, tertia Angelorum super mortua coram se jacente vita Angelorum, luctum, admirationem, & devotionem repræsentat, ut ex his ipsis facile Religiosissimi Antistitis inrentionem animadvertas, sed & alia inter merita

Bibliothecam sui Cænobij fama & libris celebrem reddidit, Religiososque suos non sanctos solum & viros perfectos esse, sed & eruditos atque utiles patriæ voluit, ipse inter majores conatus, magno sui relicto desiderio hoc ipso anno die 11. Julij extinctus. *Ex Monumentis ejusdem Villar. Cænobij.*

Fuit animi demissione præcipuus, ita quidem, ut primum Abbas S. Salvatoris electus, mantello, cruce, annulo, aliisque Prælaturæ insignijs uti prorsum respuerit, donec per expressum mandatum Capituli Generalis viâ obedientiæ compelleretur; meritis eâ Humilitatis scalâ ipso Festo S. P. N. BENEDICTI ad superos assumi.

Hoc etiam anno & tempore miris exsplendescit sanctioris vitæ exemplis Venerabilis & verè Reverendissimus Dominus Abbas Casinensis Aloysius Carassa Fabricij Ducis Andriae filius, per omne Officiorum seu munerum genus, antequam Abbas crearetur, exercitatus, singulare exemplar Magistri seu Exceptoris Hospitum, Magistri Novitiorum, Curatoris Infirmorum, Prioris & Praepositi, atque Abbatis denique, in omni planè munere incomparabili industria, religione, & charitate. Vir fuit verè extaticus, Divinis rebus totus absorptus, ita tamen, ut in sibi commendatos, & in externos quoque præclarissimis Virtutum signis insignes faceret effluere fontes, suosque imprimis olim Novitios excellentissimos quasi Chymicos redderet, exque actionibus quibusvis & cogitationibus quintam extrahere essentiam doceret. In omnibus tamen jugiter Magistrum sequutus Regulam, cujus amorem & reverentiam mirificè omnibus commendavit, & persuasit, Silentij Benedictini cautissimam & sanctissimam observationem plurimum extollens. Cæca obedientia excelluit, ita ut nec minimum, imo, etsi humillimus, nec magna in Ordine munia recusare præsumeret, sed Superiorum velut DEI jussâ, attenderet paupertatis extremè studiosus, mira & varia hujus studij de se exempla edidit; & quamvis infirmus oblatum à Duce Andriae Antonio fratre, lecticæ usum admittere noluit; uti ne chorologium pectorale in commodum itineris, quod paupertati Monachicæ congruere non videretur, Castitati & pudicitiae ita de-

Proprium  
Deipare  
domicili-  
um.

Henricus  
Van der  
Heyden Ab-  
bas.

Optimè  
meritis.

Summa  
ejus animi  
demissio.

Ven. Alp.  
suis Carol.  
sâ Abbas.

Vir extati-  
cus.

Quinta es-  
sentia in  
actionibus.

Silentij  
quanti fru-  
ctus.

Paupertatis  
studium.

Insignis  
ejus povi-  
tas.



ditus fuit, ut abhorreret loqui cum foeminis, etiam consanguineis & propria sorore, & si cogeretur ita defixis in terram oculis, ut nullam intueretur. Ipsum quoque Cacodæmonem tali forma se obrudentem generosissime repellens, à quo variè tentatus, & semel ad mortem usq; vulneratus, cum non nemo Fratrum pro Chyrurgo mitteret, cognoscens in spiritu, ipsum corripuit, quod pro humano emplastro, his vulneribus à tali hoste illatis misisset, cumque chyrurgus occurrisset, salvus & integer apparuit. Fuit sibi rigidissimus, & priusquam ætate & viribus deficeret, annis quatuordecim solis leguminibus & herbis, hisque adeo frugaliter vixit, ut famem potius irritarent quam extinguerent, terra nuda pro lectisterio usus. Ea fuit erga SS. Sacrificium Missæ & Venerabile Sacramentum devorione, ut alterum Philippum Nereum, Franciscum Saleium, & Damascenum Joannem agere videretur, præfertim cū Transubstantiationi vicinior esset, totus absorptus in Christi Humanitatem juxta & Divinitatem. De miraculis ejusdem suo loco. *Ex vita ejusdem Neapoli impressa, &c.*

*Hoc 1647. Anno Crux S. BENEDICTI, jam prioribus usitata, cultaque seculis, novo capite splendore irradiare. Res ita evenit. In Castro, cui nomen Nattrenberg, vipereum venescarum genus in vincula compactum, & examinatum, factum fuit; suas artes & arma malefica nusquam habuisse successum, ubi hac sacra Crux pro fusio fuisset, & vel affixum, vel defossum alicubi esset; Addidit insuper; propterea in Monasterium Mettense in Bavaria positum sibi jus nullum esse, quod similem ibi Crucem latuare adverterent. Edità hac confessione, Loci Præfectus Mettensis Patres hac super re consulti. Hi cum initio præter ejusmodi Cruces characteribus insignitas passim affixas reperissent nihil, tam diu indagarunt, donec inventus est liber ab aliquo Monasterij Religioso in dicta Crucis laudem conscriptus, ubi Crucis istius Mystera ac characteres, explanabantur. Liber hic etsi auro gemmisque fulgeat, majus tamen compactura precium addunt Sanctorum reliquie, hinc inde inserta, Missus ille est Ingolstadium, postea Monachium ad Serenissimum Electorem; utrinque approbationem tulit.*

*Effectus porro hujus Crucis ob singula-*

*rem ejus Benedictionem & efficaciam patrocini-um Sanctissimi BENEDICTI Misericordia Divina frequenter comprobavit sequentes: 1. Expellit ab humanis corporibus maleficia, ligaturas, omneque opus Diaboli. 2. Prohibet omnem accessum sagis ad eum locum, in quo reponitur. 3. Animalibus veneficio, ac maleficio affectis præsens remedium exhibet. 4. In lacte, faciendo butyro, aliisque successum per maleficia impeditum restituit. 5. Hominibus à Dæmone infestatis, securitatem præstat. Denique omnes Diaboli artes, & quas- cunque astutias & præcavet struendas, & structas evertit, afflictis, tentatis, & propemodum desperatis solatium est & levamen. *Modus applicandi alius non est, quam ut vel collo suspendatur, vel alias portetur, vel tale Numisma in vas aqua deiciatur, unde animalia potentur & laventur, imponatur ad limina vel postes, aut alia affigatur vel defodiatur cum firmâ fiducia in meritis Sanctissimi BENEDICTI. Atque hæc ex libellis diversis locis impressis, qui passim omnium manibus teruntur. Sunt autem beneficia, ac miracula complura, subsequenter annis, ope sacrosanctæ hujus Crucis, impetrata; quorum aliqua hoc loco referre, opera pretium esse duximus.**

**1. Crux S. Benedicti dæmonem ex infesto pellit.**

*Anno 1665. Luxorij nonnemo, infernali obsessus genio, miserandum in modum cruciatur. Nec ullum occurrebat remedium, quo malum pelleretur; donec parentes, capto salubri consilio, aquam ab injectâ S. P. BENEDICTI Cruce sacram misero potandam præbuerunt. Vix ille poculum à labris removit, cum repente furere Diabolus, debacchavit atrociter, hominem divexare, distorquere membra, metu ac terrore complere omnia, ac demum vel invitatus profiteri, se sub horam noctis tertiam è statione sua excessurum. Parentes, etsi non parùm consternati tantâ Dæmonis in carum pignus lanienâ, tamen doloris lenimentum hauserunt ex mali genij confessione, suum ipsius exitum tam discretis verbis prænuntiantis. Neque verò spem sefellit eventus: nam hostis deterrimus ad tempus præstitutum exire compulsus, & prolem, & parentes ingenti gaudio cumulavit.*

**2. Lasciva lingua emendatur.**

*In eadem urbe puella victiabat, tam lascivos passim, & execrandos sermones ef-*



fuitre solita, ut ipse spurcissimus inferorum Spiritus sessitare in ore puellae crederetur. At ubi primum salutarem aquam, cui S. B E N E D I C T I Crux injecta erat adolescentula degustavit, mox a fœdâ proloquendi res obsecras consuetudine exempta, linguam deinceps suam intra limites Christiana pudicitia continuit.

### 3. Energumenus à Dæmonis possessione liberatur.

Vesulij, quæ urbs est in Comitatu Burgundia (Galliè Vesoul) fuit nonnemo satis diuturnâ Cacodæmonis obsidione pressus, multisque à pessimo infessore molestijs exagitatus. Huic, cum desperata penè salus omnis esset, consilium tandem non minus opportunum, quàm piùm suggestit quadam urbis hospita, quæ porrectâ S. P. B E N E D I C T I cruciculâ, suadebat, potionem ut sumeret, in quam sacra illa Crux demissa esset. Paruit, corvaluit; & Crucem deinceps tam utilem sibi ac salutarem dimittere à se nunquam sustinuit.

### 4. Mulier ex partu gravissimè laborans confanatur.

Anno 1666. mense Aprili, Vesontione quadam Mulier, horâ paritûs appropinquante, gravissimis cepit doloribus excruciarî. Effundere parabat onus nec poterat. Torqueri illa magis ac magis, pungi, laniari, distendi. Obstetrix, & circumfusa Mulieres omnia cum fecissent, fecerunt nihil. Omnium vox una erat perituram Mulierem. In hoc rerum articulo, evocatur ad moribundam R. P. Constantius Gravel, Ordinis nostri Sacerdos, & Monasterij S. Vincentij Bisuntini Subprior: qui, ut à rebus sacris lenimentum aliquod afferret tantis cruciatibus, appendit Mulieris collo Crucem S. P. B E N E D I C T I, multis jam tum prodigijs clarâ ac celebrem. Mox anima pœnitenti, atque ad extremam se moris luctâ præparantis exomologesin excipit, cum, ecce, sensim remittere vis dolorum, consopiri cruciatus, omnia mitiora existere. Nec mora: Mulier afflictissima, postquam P. Constantius discessit, intrâ spatium, quo psalmus quinquagesimus decurri potest, fetum eiecit mortuum, atque ita ex præsentissimo vitæ periculo emerit, grata D E O, grata S. B E N E D I C T O, grata P. Constantio, quod amuletum sibi tam fructuosum applicuisset.

### 5. Arx à malis genijs horrendum infestata, quietem ac securitatem recipit.

Arx est in Comitatu Burgundia, dicta de Maillot, Vesontione octavo circiter millia-

ri abijuncta. Hanc maligni Spiritus, anno supra mille sexcentos sexagesimo sexto, tantis infestabant molestijs, ut incola strepitu, horrore, tumultibus exagitati, in præsentissimum vite periculum adducerentur. Neque hic steit hostium indomitus furor, sed ultra progressus ipsa quoque affixit pecora, eaque miserandû in modum diræxavit. His calamitatibus oppressi arcis incola ceperunt è loco tantis obnoxio periculis tum seipsos aut sua subducere; ne, si diutius subsisterent, gravioribus fortè malis involverentur. Ita Castellû suis destitutû possessoribus, infernaliû Spectrorû tyrannidi furorique totû cessit. Nec ullum erat remediû, quo tanti mali vis profligaretur, donec tandè priorû suâsu, per arcis totius, quâ patet ambitû, Cruces S. P. B E N E D I C T I affixe fuerunt; eventum quidem iam optato, ut omnes de repente Castellû partes à stygijs purgate infessoribus, liberâ deinceps omnisque periculi expertè habitandi facerent potestatem.

### 6. Pellitur maleficium.

Vir fuit, cujus brachiû anno 1665. tam grande tamque pestiferû ulcus infederat, ut nullus neq. unguentis, nec malagmatibus cessurum videretur. Et jam defecerat Chirurgû, & ars, & consiliû, mali sevitia omnes medica industrie vires superante. In hoc rerû statu monetur Chirurgus ab homine pio, adhiberet huic malo Crucem S. B E N E D I C T I, morbis à Dæmone præsertim imitti solitis oppido salutarè; videri enim Maleficium hoc in ulcere delitescere, quod proinde pelli nisi sacris remedijs non possit. Obtemperat benè momenti Chirurgus, brachio Crucè alligat, emplastro junctâ, fasciâque lineas de more superi, sponit. Die postero, prominentè ex ulcere pilû prægrandem extrahit, non dubius, quin magicis fuerit prestigijs imissus. Ulcus deinde manû Chirurgi sanatricè facile admisit, atque intra breve temporis spatium integrè confanatum est.

### 7. Gravis morbus perfanatur

Sub idem tempus alius nonnemo gravi morbo dejectus tenebatur. Invocatus Medicus, sed incassum. Omnè hujus artè mali pertinaciâ superavit. Igitur sacra remedia æger circumspicit; aquam, in quâ S. B E N E D I C T I Crux, piè reverentèrque sumit, & mox, cum omnium admiratione, priorem recipit sanitatem.

### 8. Incendium machinatione Diaboli excitatum mirè consopitur.

Anno 1665. pagus quidam ita miserè maleficijs erat infestatus, ut in singulos dies



una aliqua domus miserando incendio absumeretur. Jamque flammarum indomita vis & ades duodecim in cineres redegerat; grassatura sensim, ni prohiberetur, eodem impetu ac furore in cetera pagi domicilia; cum agricola ferventis mali acerbitate perterriti mittant è suis, qui ad vicinū Ordinis S. BENEDICTI Monasterium advolarent, opemque ad reprimendā ignis ferociam implorarent. Mittuntur illic Cruces S. P. BENEDICTI quamplurimæ, edibus à flammarum rabie adhuc intactis inferende. Mirum dictu! Ut illata sunt sacra numismata, repressa quamprimum vis omnis maleficiorū cēt, & ignis, prioris violentiæ oblitus, sevirè in domos rusticanas cessavit.

## 9. Pecoribus lac restituitur.

In tractu Burgundia, jumenta passim plurima, vel in morbos dejecta, vel sanctorum, vicè lactis emittentia, salutaris hujus auxilio Crucis sanata sunt. Quæ singula singularem commemorare, vel ad certū revocare numerū ob rerū gestarū similitudinē, planè supervacaneū videretur. Hoc unū, quod Anno Servatoris 1665. evenit, loco omnium sit. Hospita quædam vaccam habebat male affectā, & quæ quatuor menses integros sanguinē, loco lactis, effunderet. At verò lympham, ex alveola, in quem S. BENEDICTI numisma dejectū erat, cum pecus vix hausisset, mox & sanatae recepit, & lactis optimi purissimi que copia reddidit.

## 10. Infantulus sanatur.

Infantulus, etiam unū reclinatus in cunas, morbo afflictabatur admodū acri, ac vehementi. Et verò vis doloris eousquē jam excreverat, ut insans sensim respueret lac maternū, nec jam aliud expectarent parentes, quam certā cari pignoris mortem. Ne tamen in salute filio procurandā nihil agere viderentur, accessere consiliū gratiā, cognatorū, quempiā è suis: qui, cum aliud ad manū nihil esset, porrigit Crucē S. BENEDICTI, quam à quodā Patre Ordinis S. BENEDICTI acceperat; hanc jubet, ut infantis collo appendant. Quod cum parentes fecissent infantulū suū salvū & incolumē receperunt, actūs ei sumis gratijs, à quo consiliū tam salubre hausissent. Contigit hoc anno 1666.

## 11. Maleficium ex fornace calcariā depellitur.

Quidam laterū coctor, caeteroquin felix & artis peritissimus, ad eō caput rerum suarū successibus frustrari ut ignis, etiā inflammatissimus, nec calcem, nec lateres am-

plius coqueret. Omnium sensus ac vox magicis hoc prastigijs adscripserat. Quare à Patribus Benedictinis expetuntur remedia sacra, porriguntur aliquot Cruces P. BENEDICTI; parietibus officinae calcariæ hinc inde immittuntur, moxque fornax materiem omnem, quæ calcis, qua laterum, ex artificis voto decoxit, nullo deinceps per insequentes annos incantationū maleficio se unquam prodente. Hæc omnia ex relatu RR. PP. Lotharing. Congreg. aliorumque Testimonijs fide dignissimis.

## IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XLVIII.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LXVIII.

Magis opus non est, dum vita est talis, quæ mortales non solum edificet, ut sacri vocamus, sed ipsos rapiat & delectet, immortales. Talis Reverendissimi & amplissimi Augustini Crulay fuit Ursidungensis celeberrimi in Hannonia Monasterij Abbat. Hic Sulpitio Bloisio (de Bloys) pientissimo Ludovici Bloisij æmulo & confanguineo, in Prælatūra succedens talis omnino fuit, quantum reformatissima quævis Monasteria sibi optare possent, qualemque revera requireret BENEDICTUS REDIVIVUS. Ipsa loquantur Cænobii monumenta, ne

quid plus æquo ipsi tribuisse videamur: Talis, inquit, cujus memoria facta opus pigmentari, quasi mel in ore omnium inculcabitur in æternas generationes. Vir ex Virtutibus totus compositus, scientia & pietate summè conspicuus. Reformationem Casinatum cum perpetua à carnibus abstinentia, confirmante Urbano VIII. post multiplices & graves difficultates introduxit. Offensus per sæpe & graviter à resistantibus Reformationi, ita patienter tulit, ut ipse ante Archiepiscopum, qui tales punire decreverat, genuflexus veniam pro eis postularer, aliaque patientiæ singularis exempla ostendit. Parcus sibi, largus alijs, pauperibus hilariter & liberaliter succurrebat. Nihil atrocitate bellorum & aliorum incommodorum absterritus, quominus elemosynas largiretur. Orationi & lectioni sacræ deditissimus, cibi potusque abstinentia se plurimum affligebat. Denique morbo diuturno & gravissimo summa cum animi resignatione patientissimè tolerato, requievit in Domino hoc ipso anno millesimo

Augustinus  
Crulay Ab-  
bas Ursi-  
dungi.

Insigne  
Elogium.

Felix ejus-  
dem obitus.